



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. II. Quomodo cessent privilegia per revocationem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

dem, non ob suam, sed ejus, cui provideri mandatur, gratiam, vel favorem: illa quidem expirat omnino, si concedens re integrâ moriatur.

Nihilominus Sanchez de matrim. l. 8. d. 2. n. 80. & Palao p. 16. §. 4. n. 6. fatiſ probabile censent, quamlibet facultatem datam alicui ad effectum causandum in alio, esse gratiam factam illi, cui data est talis facultas, licet speciali intentione ad alium referatur: ideoque non perire morte concedentis, exceptâ materiâ beneficiorum, de qua exponunt *cap. si cui nulla*, præallegatum, & fori contentiosi, de qua agitur l. *inter causas* 26. ff. *mandati. c. gratiam. c. relatum de offic. deleg.* quam sententiam in foro poenitentia amplectuntur Suarez, & Haunoldus cum aliis, ita ut facultas absolvendi concessa, sive dicatur ad Confessarium, sive ad determinatum poenitentem, semper habenda sit pro gratia facta, propter favorem iudicii poenitentialis, quod magis est gratiæ, quam justitiæ.

7. Inferes ex dictis primò. Privilegium, quo per verba directè alloquentia privilegiato conceditur alicui favor, esse gratiam factam, non faciendam, nec proinde expirare morte concedentis, quantumvis ipsius executio sine alterius delegati cooperatione obtineri non possit: ut si privilegium dicat: *Concedimus tibi facultatem suscipiendi Ordines à quocunque, vel ab hoc determinato Episcopo, eligendi Confessarium &c.* quia tunc facultas non directè fertur ad delegatum, qui se habet per modum accessorii; sed ad privilegiatum; in quo cum concedens suam gratiam velit esse firmam, & factam, ex consequenti vult etiam esse talem in delegato, prout expressum videtur in cit. *c. si super gratia, de offic. deleg. in 6.* & tenent præter Palao cit. Suarez, Haunoldus, Petfacher, q. ult. a. 7. §. 3. aliique.

8. Quæres tertio. Utrum requiratur acceptatio privilegiati, ad hoc, ut censeatur gratia facta, quæ morte privilegiantis non expirat?

Respondeo cum communi negativè: nam gratiam absolutè factam decet esse manuram, neque expirat illa morte concedentis ex *c. si super gratia, cit.* & habet se instar donationis, quæ tametsi ante acceptationem revocari possit, non tamen abruptur morte donantis: ideo & privilegium absolutè concessum etiam post mortem privilegiantis acceptari potest. Ita AA. citati.

9. Quæres quarto. An privilegium concessum cum clausula *ad beneplacitum meum*, vel *quandiu voluero*, expirat morte concedentis?

Respondeo, probabilius expirare: quia per mortem desinit omnis voluntas & beneplacitum, à quo tamen tale privilegium dependet in conservari. Ita communior, quam tenet Palao §. 5. n. 4. qui tamen etiam oppositam censet esse probabilem, eò quòd ista clausula, interpretatione per usum & consuetudinem Ordinariorum approbatâ videatur æquivalere huic, *donec revocavero, vel aliter ordinavero*: privilegia autem & gratiæ sub hac clausula collatæ, uti cum Ordinarii tribuunt Religiosis facultatem Sacramenta administrandi, non expirant morte concedentis.

10. Inferes ex dictis primò. Quemadmodum privilegia & gratiæ expirant morte concedentis; ita pariter expirare finitâ jurisdictione conce-

dentis, prout colligitur ex præcitatâ Canon. *si super gratia, & si cui nulla*, quia quo modo privilegia dependent in fieri & conservari à voluntate & vita, ita à jurisdictione concedentis.

Inferes secundò. Si gratia privilegii fuerit concessa ad tempus limitatum, v. g. ad annum, non propterea expirare, si concedens intra illum annum moriatur: nam illa limitatio non facit, quòd gratia potius sit faciendâ, quam factâ; unde si aliunde non evincatur, quòd gratia sit faciendâ, habebit suum effectum intra illius temporis limitationem non obstantè morte concedentis. Ita Palao citatus.

§. II.

Quomodo cessent privilegia per revocationem?

Privilegium hoc loco sub triplici differentia considerari potest: primò potest esse purè gratuitum instar liberalis donationis; secundò onerosum, quando nimirum datur sub onere alicujus actûs præstandi, vel pecuniæ solvendæ. Tertio remuneratorium, cum datur in præmium meritorum à privilegiario præstitorum.

Quæres igitur primò. An privilegium gratuitum sine rationabili causâ à Principe revocari possit?

Respondeo primò. Si per privilegium tantummodo confirmatur alicujus actûs delegatio sine translatione alicujus juris, aut dominii, tunc revocari posse validè, sed non licitè; validè, quia tale privilegium habetur tanquam precariò concessum, ideoque revocationi obnoxium; non licitè, quia sine rationabili causâ mutare voluntatem, & alium privare commodo, ad minus est actus otiosus, imprudens, occasio murmurationum, ab animi levitate procedens: ergo saltem erit actus venialiter malus.

Respondeo secundò. Si per privilegium alteri jus, aut dominium acquiritur, non potest à Principe validè revocari sine causâ. Ita Felinus in *c. novit. de judic. Sanch. l. 8. de matrim. disp. 33. n. 2.* quia Princeps non nisi ex dominio alio potest subditos privare re suâ: sed actus dominii alti ad sui valorem requirit causam publicæ utilitatis: ergo.

Quæres secundò. Possitne validè revocari sine causa privilegium onerosum, aut remuneratorium?

Respondeo ad utrumque probabiliter negativè. Et quidem ratio primi est; quòd Princeps teneatur servare pacta, etiam facta cum subditis: sed in privilegio oneroso includitur pactum; ergo nisi publicæ utilitatis ratio aliud suadeat, Princeps illi privilegio stare tenetur, uti tradunt Suarez c. 37. n. 5. Palao p. 21 §. 2. cum plurimis ibidem relatis. Ratio secundi est, quia privilegium remuneratorium aut datur ex justitia, aut ex gratitudine; si ex justitia, parit in privilegiato jus rigorosum, & ad sui mutationem non tantum causam, sed etiam compensationem requirit, prout sentiunt DD. communiter. Si ex gratitudine, tunc etiam privilegium transit in contractum, eò quòd propter privilegium privilegiatus cedat præensione suorum meritorum, quæ est pretio æstimabilis, prout tradit Palao lo-

eo citato: quamvis etiam probabilis sit sententia complurium docentium, ad revocationem hujus privilegii non requiritur tantam causam, quanta requiritur ad revocationem privilegii remunerativi ex iustitia, neque necessariam esse compensationem, eò quòd concedens non præsumatur voluisse se obligare sub rigorosiori titulo ad non revocandum privilegium, quàm movebatur ab initio ad illud concedendum, sed iste tantùm fuit titulus gratitudinis. Cui sententiæ adstipulatur praxis Romanorum Pontificum, qui sæpius ejusmodi privilegia sine compensatione revocant. Ita docent Bail de matrim. l. 8. c. 19. Salmatic. c. 2. p. 3. n. 35 cum aliis à se relatis.

15. Ex quibus infert Castrop. cum Sanch. disp. 33. n. 13. Dispensationes ad contrahendum matrimonium in gradibus prohibitis à Summis Pontificibus concessas pro foro externo, ab iisdem non nisi iustà causâ interveniente, ac restituito pretio revocari posse.

Quæres tertio. Quis possit privilegium revocare? Certum est, si adsint requisita præmemorata, posse privilegium à concedente, vel ejus Successore revocari. Dubium est, an & quando superior privilegium inferioris, aut inferior superioris privilegium infirmare, vel revocare possit?

16. Respondeo primò. Inferior ex potestate sibi vel de jure, vel per consuetudinem concessa dispensans in lege superioris, non potest dispensationem sine causâ validè revocare. Ita Sanchez, Palao, Haunoldus, Reding. Ratio est, quia inferior sive dispensando in lege superioris, & obligationem tollendo, sive revocando dispensationem, ac obligationem reponendo, operatur ex voluntate Superioris; qui pro neutro casu concedit facultatem utendi suâ jurisdictione sine causâ: ergo sicuti inferior sine causâ invalidè dispensat; ita sine causâ invalidè revocat dispensationem.

17. Respondeo secundò. Superior non potest abique causâ validè revocare privilegium ab inferiori absolutè concessum, nisi in casu, quo inferior potestatem conferendi privilegium sub tali dependentiâ & conditione revocabilitatis à superiore accepisset. Ita Magnif. P. Petschacher loc. cit. Ratio est, quia non potest privilegiato sine causâ jus privilegii quæsitum auferri: sed si ve superior, sive inferior contulerit privilegium, privilegiatus habet idem jus: ergo non potest à Superiore sine causâ auferri.

Dixi: *absolutè collatum*. Nam si in privilegio

inferioris adderetur conditio, donec superiori placuerit, quæ tamen non præsumitur, nisi exprimat, constat, illud etiam abique causâ validè revocari posse.

Quæres quartò. Quæ forma sit necessaria, ut revocatio habeat effectum?

Respondeo primò. Alia est revocatio privilegii tacita, alia expressa. Tacita fit factio principis, quando aliquid ordinat, & concedit, quod non potest subsistere sine revocatione privilegii in contrarium. Expressa, quæ fit verbis expressis, eaque alia generalis per terminos generales, non obstantibus quibuscunque &c. specialis, quæ specialiter revocatur privilegium in particulari. Ad expressam revocationem (exceptis casibus infra ponendis) absolutè sufficit clausula generalis, *revocamus, annullamus, decernimus non obstantibus quibuscunque &c.*

Respondeo secundò. Non revocatur per se clausulam generalem primò privilegia onerosa, & remunerativa, ob jus tertio in vi contractus, vel quasi contractus quæsitum, quorum non præsumitur revocatio, quousque exprimat, ut tradit Suar. Sanchez, Abbas Einsidensis, alique. Neque secundò, quæ sunt corpori juris tolerata, ad quorum revocationem requiritur derogatio Constitutionum & Canonum, quorum illa naturam sapiunt. Unde pariter ut revocentur privilegia ab aliquo Generali Concilio stabilita, oportet exprimi Concilium, v. g. *non obstante quacunque Constitutione in Concilio etiam generali edita*; exceptio, si ex jure, vel consuetudine constet, Pontificem Constitutionibus Conciliorum & Canonum derogare velle, uti fit in dispensatione super impedimentis matrimonii. Neque tertio privilegia habentia clausulam, ut derogari non possint, nisi fiat illorum specifica mentio, tunc enim in revocatione oportet addi verba reflexiva super talem clausulam. Ex Abbate in c. *chamostantia in 6. de rescriptis*, aliisque DD.

Respondeo tertio. Ut revocatio privilegii sortiatur effectum, requiritur competens publicatio. Unde si fiat per legem, talis oportet sit promulgatio, qualem exigit legis substantia; si fiat privatim, saltem intimari debet per rescriptum, epistolam, seu nuncium ad id destinatum, ut cum Sanchez & Castropal, censet Reding. n. 44. Petschacher §. ultimo in fine: iste enim modus etiam in mandato observatur, ut antea vix non obtineat, quàm directè mandatario innoscatur.

ARTICULUS III.

De modis, quibus cessat privilegium ex parte privilegiati.

SUMMARIUM.

1. Quid & quocumque renuntiatio?
2. Privilegium cedens in solium privilegiati favore, amittitur per renuntiationem.
3. Non amittitur, si fit etiam in favorem tertii.
4. Ut privilegium actu & irrevocabilitè amittatur, requiritur acceptatio concedentis.
5. Ad amissionem privilegii tertio odiosi, requiritur ejus acceptatio.
6. Privilegium nemini præjudiciosum non amittitur per solum non usum.
7. Privilegia gravantia amittuntur non nisi conjuncto cum præscriptione gravanti.
8. Privilegia negativa non amittuntur per usum contrarium.
9. Potest unico actu præscribi contra privilegium.